

## ESERCIZI LEZIONE 12

## 1. Interrogative indirette

1. Non enim quaero quid tu dicturus sis. 2. Quaesivisti cur ego P. Crassi domum emissem, cum tu vetus villae dominus sis cuius paulo ante fuerat Caesar. 3. Quid sciret ille perpauci animadvertebant, ubi didicisset omnes quaerebant. 4. Quaerunt multi, cum Tiberis Aeneae faveat, cur liberaverit Turnum. 5. Quid sit animus aut ubi aut unde, magna dissensio est. 6. Pansa amisso quantum detrimenti res publica acceperit non ignoras. 7. Equites referunt<sup>3</sup> quo se Hannibal post proelium contulerit, quid paret, quid agat acturusque sit. 8. Quis sis, unde venias, licetne<sup>4</sup> ignorare in vastis silvis viventibus? 9. Haec est sententia mea, quam mutabo si dissenseris tu; sed plane cur dissentias explices rogo. 10. Quid Catilina ea nocte egisset, ubi fuisset, quid in proximam constituisset edocui. 11. Unde autem spiret is ventus quaque parte veniat, diximus secundo volumine. 12. Ubi sit necne sit aut fuerit futurum sit querunt. 13. Antonius alios<sup>5</sup> pudore et probris, multos laude et hortatu, omnis<sup>6</sup> spe promissisque accendens, cur resumpsissent arma Pannonicas legiones interrogabat. 14. Quantum nomen illius fuerit, quantae opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi Romani, quanti senatus, quis ignorat? 15. Quae scribis unde veniant scio. 16. Et omitto Erillum qui in cognitione et scientia sumnum bonum ponit; qui cum Zenonis auditor esset vides quantum ab eo dissenserit et quam non multum a Platone. 17. Tribuni ex consule quaerabant quando id bellum senatus decrevisset, quando populus Romanus iussisset. 18. Quomodo hoc ad me pervenerit quaeris, quis mihi id te cogitare narraverit quod tu nulli<sup>7</sup> narravera? 19. L. Aemilio Regillo, auditis rebus gestis eius, quantis cum classibus hostium dimicasset<sup>8</sup>, quot inde naves demersisset aut cepisset, magno consensu senatus triumphum navalem decrevit. 20. Rationem reddere debet reus quare occiderit.

## 2. Cum con il congiuntivo

1. Putat me Lucium Titium esse, cum sim Gaius Seius. 2. Cum dixisset Agamemnon: «pauper et dives inimici erant», ait Trimalchio «quid est pauper?». 3. Caesar, cum constituisset hiemare in continentem propter repentinus Galliae motus, obsides imperat, et quid vectigalis populo Romano Britannia penderet constituit. 4. Id quidem saepe ex eo audivi, cum diceret sibi iam certum esse a iudiciis causis-

<sup>3</sup> referunt = ‘riferiscono’: 3<sup>a</sup> pers. pl. del pres. ind. di *refero*, composto dell’anomalo *fero* (p. 170).

<sup>4</sup> licet = ‘è lecito’.

<sup>5</sup> alios qui va tradotto ‘alcuni’, perché è in correlazione con i successivi *omnis* (vedi nota seguente) e *multos*.

<sup>6</sup> *omnis* = *omnes* (acc. pl.).

<sup>7</sup> *nulli*, dat. di *nullus*: ‘a nessuno’.

<sup>8</sup> *dimicasset* = *dimicavisset*.

que discedere. 5. Nec vero interest<sup>9</sup>, Roxanes<sup>10</sup> filium an Perdiccan<sup>11</sup> regem habeatis, cum iste sub tutelae specie regnum occupaturus sit. 6. Ad fontem cervus, cum bibisset, restitut et in liquore vidit effigiem suam. 7. E volucribus hirundines indociles sunt, e terrestribus mures, cum elephanti iussa faciant, leones iugum subeant. 8. Phrixus et Helle insania a Libero obiecta cum in silva errarent, Nebulam matrem eo dicunt venisse et arietem inauratum adduxisse, eumque natos suos ascendere iussit. 9. Sed merita et famam corpusque animumque pudicum cum male perdiderim, perdere verba leve est. 10. Cum audivisset M. Antonium cum suis copiis praemisso L. Antonio cum parte equitatus in provinciam meam venire, contra eos venire institui. 11. Quaerunt multi, cur Vergilius Aeneam primum ad Italiam venisse dixerit, cum paulo post dicat Antenorem ante adventum Aeneae fundavisse civitatem. 12. Non ignoro quid sociis accidat in ultimis terris, cum audierim in Italia querelas civium. 13. Quidam<sup>12</sup> Athenis vir eruditissimus, cum ictum lapidis capite exceperisset, cetera omnia tenacissima memoria retinens litterarum tantum modo, quibus praecipue inservierat, oblitus est<sup>13</sup>. 14. Ille promissum suum implevit, qui et cum video illum et cum audias idem est. 15. Crates, cum indoctum puerum vidisset, paedagogum eius percussit. 16. Hercules cum Pylum expugnaret, Neleum interfecit et filios eius decem, undecimus autem Perichymerus beneficio Neptuni avi in aquilae effigiem conversus mortem effugit. 17. Trimalchio cum graviter ingemisset superque brachium tamquam laesum incubuisset, concurrerunt medici. 18. Tempore igitur ipso illi se ostenderunt, cum Licinius venisset, manum porrigeret, venenum traderet. 19. Cum autem et quid et quo loco dicat orator invenerit, illud est longe maximum, videre quonam modo. 20. Canis cum domino semper fecisset satis<sup>14</sup>, languere coepit annis ingravantibus.

## 3.

*In victu hominis describendo<sup>15</sup> considerare debemus, apud quem creverit, quos habuerit artium liberalium magistros, quos vitae praeceptrores, quo modo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit. In fortuna hominis iudicanda<sup>16</sup> quaerere debemus, servus sit an liber, pecuniosus an tenuis, privatus an cum potestate: si cum potestate, iure an iniuria; felix, clarus an contra; quales liberos habeat. Ac si de homine non vivo disputamus, etiam quale genus mortis oppotiverit. Facta autem et casus et orationes tribus ex temporibus considerabimus: quid fecerit aut*

**9** *Nec interest* = 'E non c'è differenza'; segue una interrogativa indiretta.

**10** *Roxanes* = 'di Roxane', la moglie di Alessandro Magno: è un genitivo con desinenza greca.

**11** *Perdiccan* = Perdicca, un generale di Alessandro Magno: è un accusativo con desinenza greca.

**12** *Quidam* = 'un certo', nom. s. m. del pronome indefinito *quidam* (p. 186).

**13** *oblitus est* = 'si dimentico' (3<sup>a</sup> pers. s. dell'ind. perf. di *obliviscor*, un verbo deponente: pp. 183-185); regge il genitivo della cosa dimenticata.

**14** *fecisset satis* = *satis fecisset* (o *satisfecisset*); regge il dativo.

**15** *In victu hominis describendo* = 'nel descrivere il modo di vivere di un uomo'.

**16** *In fortuna hominis iudicanda* = 'nel giudicare la sorte di un uomo'.

*quid ipsi acciderit aut quid dixerit; aut quid faciat, quid ipsi accidat, quid dicat;  
aut quid facturus sit, quid ipsi casurum sit, quam sit habiturus orationem.*

## 4.

*Multa miracula acciderunt, quae unde manaverint aut qua ratione constiterint dinoscere arduum est. Quorum e magno acervo in primis illud mihi occurrit. Cum apud lacum Regillum A. Postumius dictator et Tusculanorum dux Mamilius Octavius magnis viribus inter se concurrerent ac neutra acies aliquamdiu decederet, Castor ac Pollux Romanarum partium propugnatores apparuerunt et hostiles copias penitus fuderunt. Item bello Macedonico P. Vatinius Reatinæ praefecturae vir noctu urbem petens existimavit duos iuvenes excellentis formae albis equis residentes nuntiare die, qui praeterierat, Persen regem a Paulo captum esse. Quod cum senatui indicasset<sup>17</sup>, tamquam maiestatis eius et amplitudinis vano sermone contemptor in carcerem magistratus coniecerunt. Sed postquam Pauli litterae illo die Persen captum esse<sup>18</sup> nuntiaverunt, Vatinium custodia liberaverunt et insuper agro donaverunt. Castorem vero et Pollucem pro imperio populi Romani excubuisse clarum fuit etiam illo tempore, quo ad lacum Iuturnae suum equorumque sudorem abluentes agricolae quidam<sup>19</sup> viderunt.*

## 5.

*Pyrrhus rex audierat quodam<sup>20</sup> in convivio Tarentinorum parum honoratum de se sermonem habitum esse<sup>21</sup>. Cum ex iis qui interfuerant quaereret an ea, quae ad aures ipsius pervenerant, dixissent, ex his unus, «nis» inquit «vinum nos defecisset, ista verba prae eis, quae de te locuturi eramus, lusus ac iocus fuissent»<sup>22</sup>. Tam urbana crapulæ excusatio tamque simplex veritatis confessio iram regis convertit in risum. Cuius tam mitis ingenii debitum fructum ultimo fati sui tempore cepit: nam cum diris auspiciis Argivorum invasisset urbem, abscisumque eius caput Alcyoneus Antigoni regis filius ad patrem laetus – velut aliquod felicissimum victoriae opus – attulisset<sup>23</sup>, Antigonus natum suum reprehendit, quod tanti viri subitae ruinae inmemor humanorum casuum effuso gaudio insultaret<sup>24</sup>. Tunc Antigonus humo*

<sup>17</sup> indicasset = indicavisset.

<sup>18</sup> Persen captum esse = ‘che Perse era stato catturato’. Persen è accusativo con desinenza greca; *captum esse* è infinito perfetto passivo di *capio*.

<sup>19</sup> quidam = ‘alcuni’, nom. pl. m. del pron. indefinito *quidam* (p. 186).

<sup>20</sup> quodam = ‘un certo’, abl. s. m. del pron. indefinito *quidam* (p. 186).

<sup>21</sup> habitum esse, inf. perf. passivo di *habeo*.

<sup>22</sup> Il periodo riferito in discorso diretto costituisce un esempio di periodo ipotetico dell’irrealtà, per la cui illustrazione nel dettaglio, vedi la lezione 23, pp. 238-239. Traduci il *fuissent* con un condizionale passato italiano.

<sup>23</sup> attulisset è piuccheperfetto cong. di *adfero*, un composto dell’anomalo verbo *fero* (p. 170).

<sup>24</sup> Il verbo della frase causale è al congiuntivo (p. 206, lezione 20C): traduci come se fosse all’indicativo, *insultabat*.

*quid ipsi accidat, quid dicat;  
habiturus orationem.*

*t aut qua ratione constiterint  
imis illud mihi occurrit. Cum  
Tusculanorum dux Mamilius  
citra acies aliquamdiu decedente  
natores apparuerunt et hostiles  
Vatinius Reatinae praefecturae  
ellentis formae albis equis resi-  
Paulo captum esse. Quod cum  
plitudinis vano sermone con-  
postquam Pauli litterae illo die  
dia liberaverunt et insuper agro  
populi Romani excubuisse cla-  
ue suum equorumque sudorem*

*caput sustulit et causea, qua velatum caput suum more Macedonum habebat, texit  
corporique Pyrrhi redditum honoratissime cremandum curavit<sup>25</sup>.*

## 6.

*Cum Romani viam ad Casilinum ob siderent et ab tergo socii commeatus subvehe-  
rent, Poenus autem inter Formiana saxa ac Litterni harenas stagnaque hibernatu-  
rus esset, Hannibal ludibrium oculorum specie terrible ad fru strandum hostem<sup>26</sup>  
struxit. Principio noctis furtim succedere ad montes statuit. Fasces virgarum atque  
aridi sarmenti undique ex agris collecti praeligat cornibus boum, quos multos inter  
ceteram agrestem prae dam agebat. Inde iussit Hasdrubalem id armentum accensis  
cornibus ad montes agere super saltus ab hoste insessos. Ille primis tenebris silentio  
castra movit, agens boves aliquanto ante signa. Ubi ad radices montium pervenit,  
signum extemplo dedit et armenta accensis cornibus concitavit in adversos montes.  
Metus ipse reluentis flammae a capite calorque iam ad ima cornua veniens velut  
stimulatos furore agebat boves. Quo discursu omnia circum virgulta ardebant capi-  
tumque quassatio excitansflammam praebebat hominum passim discurrentium  
speciem. Romani, ubi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt,  
circumventos se esse rati<sup>27</sup> praesidio excesserunt. Deinde ut humana apparuit fraus,  
tum vero insidias putaverunt et cum maiore tumultu<sup>28</sup> se in fugam coniecerunt.*

*inorum parum honoratum de se  
erant quaereret an ea, quae ad  
is inquit «vinum nos defecisset,  
is ac iocus fuissent»<sup>22</sup>. Tam urba-  
confessio iram regis convertit in  
ultimo fati sui tempore cepit: nam  
abscisumque eius caput Alcyoneus  
quod felicissimum victoriae opus –  
quod tanti viri subitae ruinae  
cularet<sup>24</sup>. Tunc Antigonus humo-*

è accusativo con desinenza greca; *cap-*

(p. 186).

(p. 186).

di periodo ipotetico dell'irrealità, per  
238-239. Traduci il *fuissent* con un con-

dell'anomalo verbo *fero* (p. 170).

one 20C): traduci come se fosse all'indi-

<sup>25</sup> *cremandum curavit* = 'diede disposizione che venisse cremato'.

<sup>26</sup> *ad fru strandum hostem* = 'per ingannare il nemico'. La frase offre un esempio di subordinata finale costruita con *ad* e l'accusativo del gerundio o del gerundivo (vedi p. 144).

<sup>27</sup> *circumventos se esse rati* = 'pensando di essere stati circondati'.

<sup>28</sup> *cum maiore tumultu* = 'con (ancora) maggiore confusione'; *maiore* è abl. s. di *maior*, comparativo di *magnus* (p. 162, lezione 16).